



In diesem Bande fehlen die Schriften Nr 39-41.

21. Sep. 1955. Luchier.

Nr. Bo. 2.

DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>I</sup>O THEOLOGICA,

*Quād*

# MESSIAS

CAPITIS LIII. JESAIÆ,

## SCOPUS UNICUS.

esse,

Contra Hug. GROTIUM & JUDÆOS recen-  
tiores demonstratur,

*Quamque*

## DIVINA FAVENTE GRATIA

CLEMENTISSIMIS AUSPICIIS

F R I D E R I C I A N I S,  
P R A E S I D E

## HENRICO OPITIO,

SS. Theol. Doct. ejusdemq; Prof. Ord.

Ad diem Junii MDCCLII.

publicè defendet

## JOSIAS HENRICUS OPITIUS, H. F.

SS. Theolog. Cult.

K I L O N I,

Typis Bartholdi Reutheri, Academ. Typogr.

32

Dissertatio Theologica  
MESSIAS

SCOPUS UNICUS

Gele

Compendium Orationis Sacerdotum Secundum

Etiam de Generis et Mortis

Diversitas

DIANA FAVENTIA GRATIA

Clementissimus Ursulus

ERIDIGRIGIANTUR

Proxime

HENRIGO OPTIMO

S. Theophilus Glareanus; Prologus

Vd. die 22. Iunii MDCCII

Augsburg ad Salzburgh

Josias Henricus Ortius, M.R.

Se. Theophilus Capit

H

Aulae Imperiorib[us] Reneficii, Academ. Tabor



## I. N. J. A.

**S**Illum in toto Codice V. T. luculentum de Messia habetur Vaticinium , id ipsum sane præbet Caput LIII. Jesaiæ, utpote in quo præter Messiæ nativitatem , tam perspicuè de ejus Passione, morte, sepultura, resurrectio ne atque officiis ejus agitur , ut telte Hieronymo in Prologo ad Paulā & Eustachium, nec non Augustinō lib. 18. de C. D. c. 29. Evangelistam verius, quam Prophetam agere videatur Jesaias. Unde & Christiani feliciter sæpè hoc Capite usi fuerunt in Conversione Judæorum. Certe B. Helvicus in Append. III. Elenchi Judaici §. 39. scribit: *Novi ego inter Judæos, qui hoc solo fermè loco Esiae permoti fuerunt, ut Christianismo favere cœperint.* Et D. Calovius in Bibl. illustr. ad h. l. adducit Joh. Isaacum Levitam, qui in defensione Veritatis Hebr. S. Script. l. 2. p. 82. suo Exemplo idem confirmat, quando scribit: *Ingenue profiteor, illud ipsum caput (Jes. LIII.) ad fidem Christianam me adduxisse;* & postea addit , quomodo aliis quoque Rabbini ex hoc Capite os oppilarit , quando subjungit: *His proximis Comitiis Francofurtensis cum quinque Rabbinis sum congressus , quos ex eodem Capite in eas angustias redigi, osq; illorum obturari, ut neverbum quidē adversus argumenta & rationes meas respondere potuerint.* Quare Cl. Hulsius Theol. Iud. p. 318.

A 2

hoc

(3)

hoc Caput Jesaianum ex merito vocat *Carnificinam Iudeorum*, & subjicit, sibi aliquos Iudeos de hoc Capite confessos esse, Rabbinos suos ex Propheticis scripturis facile se extricare potuisse, modo Esaias tacuisset. Quā Capitis hujus eximia dignitate allecti, atque amore Messiæ nostri inducti, datâ etiam peculiari quadam occasione, hac vice demonstrabimus, solum Messiam, eumque Jesum nostrum Nazarenum esse Subjectum & Scopum totius hujus Capitis LIII. Quō demonstratō, haud difficile erit suo tempore demonstrare ea, quæ supra diximus, de Messiâ nostrô quoque agere. Faxit summum Numen, ut quæ hic commentamur, vergant in confirmationem Christianorum, & conversionem ac salutem Israelis, Amen.

§. 2. Messiam nostrum esse σωτήρν σωτηρίατον uti totius Scripturæ S. ira & hujus Pericopes Jesaianæ, tum contra Hug. Grotium hic Judaizantem, tum contra ipsos Iudeos demonstraturi, ante omnia præsupponimus, Textum hunc totum à Cap. LII. vers. 13. usque ad Capitis LIII. vers. ultimum arctè cohæerre; id quod non solum ex attentâ totius illius sectionis consideratione, sed & ex consensu antiquissimæ Paraphraseos Chaldaicæ Jonathanis, plerorumque Rabbinorum, & tantum non omnium Interpretum Christianorum constat. Etenim ex Rabbinis id fatetur R. Aben Esra ad h. l., quando ait: וְהַנְכֹן בְּעִנִּי כִּי כָל הַפְּשָׁחָה רְבָקָה Recum mihi videtur, totam hanc sectionem cohærere: Idemque statuunt R. Sal.

(5)

R. Sal. Jarchi, R. Mose Bar Nachmann, R. Saadia, Baal Hatturim, Kimchi, Abarbenel aliique. Et quamvis Abarbenel Paraphraſtæ Jonathani tribuat, quasi priora tantum quatuor commata de Messia, reliqua vero de quovis justo exponat, falso sum tamen id esse, vel ipſa *avroſia* docet. Ex Christianis vero tum Patres antiqui *Justinus Martyr* in Dialogo cum Tryphone, *Origenes* lib. 1. contra Celsum, & *August.* lib. 18. de C. D. c. 26. tum Græca 70. interpp. tum versio vulgata Latina una cum versionibus Latinis aliis, & B. Lutheri Germanica ac Lutherani Interpretes, quantum quidem constat, omnes hic inter se conveniunt.

§. 3. Quibus sic suppositis statuimus *Subjectum* totius hujus Sectionis Jelaianæ non esse *ψιλανθρωπον*, sed omnino *θεανθρωπον* Servum illum Dei iustum, primis statim parentibus tanquam *Semen mulieris contritum caput Serpentis infernalis* in Paradiso promissum Gen. 3. 15. & ut *Consolatorem totius generis humani* Gen. 5. 29. agnatum, ac Patriarchis V. T. per tot typos & sacrificia adumbratum *Messiam*, *Dominum nostrum J. C.* Quod ne temere afferuisse videamur, nostram sententiam seqq. V. stabiliemus Argumentis: nim.

§. 4. Argum. I. Evincit id contextus hujus cum præcedentib⁹ non minus quam seqq. optima Cohærentia, nec non ipsius Textus omniumque ejus partium & prædicitorum consideratio & ad Messiam applicatio.

I. Cohærentiam textus quod spectat, consistit

A 3

ea

(6)

ea in hoc , quod Propheta in Cap. LII. excitat Zijo-  
nem spiritualem , ut ex spirituali Babele seu confusa  
Phariseorum tyrannide exeant v. 1-6. , atque Apo-  
stolis Evangelizantibus exitum illum suadentibus  
aures præbeant v. 7-10. seq; Duci illius exitus ac Cong-  
gregatori, Deo Israelis, Messia inquam jungant, v. II.  
12. utpote qui tanquam *Servus Dei* intelligenter &  
prosperè sit acturus v. 13. Et quamvis prius in statu  
exinanitionis multis stupori sit futurus v. 14. brevi-  
ter tamen in statu exaltationis ita esse evehendū , ut  
vix sit, qui id credit Cap. LIII. v. 1. imprimis si quis  
humilem ipsius ortum, externam speciem , & à suis  
contemtū, imò à Deo immissam afflictionē attendat  
v. 2. 3. quam tamen non ob sua, sed ob aliena peccata  
sustineat, vers. 4. 6. & quidem admodū patienter v. 7.  
unde & ex aliberatus sit v. 8. & quia sic multa & gra-  
vissima pro peccatoribus pertulit, itaque multos etiā  
sibi addictos habebit; quib⁹ in N.T. multa & magna  
beneficia præstabit Cap. LIV. v. 1. seqq. (II.) Singula-  
rū partium considerationē & ad Messiam applicatio-  
nem quod attinet, ea talis est, ut non nisi Messiae,  
nostroque Salvatori, Jesu Nazareno competit. Is e-  
nim solus justus ille Dei servus est , ille inquam Ser-  
vus de quo dixerat cap. 42. i. *Ecce servus meus quem*  
*sustento , electus meus , qui beneplacuit anima mea:*  
*dedi super eum spiritum meum : judicium ad gentes*  
*exire faciet.* Et cui dixerat Jes. 49. v. 6. *parum mibi*  
*est , ut sis mibi Servus ad fuscitandas tribus Jacob :* Du-  
ctor & Collector suæ Ecclesiae Jes. 52. 12. Solus is a-  
spersit doctrinâ suâ & sanguine suô gentes multas,  
& ad

•(7)•

& ad fidem suam convertit reges per prædicatio-  
nem Evangelii, in quâ ipsis ob oculos posita fuerunt,  
quæ antea non viderunt, & ex qua intellexerunt ea,  
quæ prius non audiverunt v. 13. 14. 15. Solus is a-  
scendit sicut planta tenera & sicut radix è terra arida  
refloruit Cap. LIII. 2. Solus is despectus & cessans vi-  
rorum sive præ omnibus viris, ac vir dolorum maxi-  
morum fuit v. 3. Solus is morbos nostros tulit, & do-  
lores nostros bajulavit ipse, v. 4. Is enim agnus Dei  
est, qui tollit peccata mundi Joh. 1. 29. Solus is ob  
prævaricationes nostras confessus & ob iniquitates  
nostras percussus fuit: Super solo ipso est castigatio  
pacis nostræ, sive quâ nobis acquisivit pacem; so-  
lius ejus vulneribus sanitas data est nobis. In so-  
lum ipsum Jehovah incurere fecit iniquitatem o-  
mnium nostrum v. 5. 6. Solus is gravissimè affli-  
ctus est, nec tamen os suum (impatienter) a-  
peruit, sed sicut agnus ad macerationem ductus,  
& sicut ovis coram tonsoribus suis obmutuit, v. 7.  
Solus is postquam ex angustia & judicio ereptus, ge-  
nerationem habet inenarrabilem vs. 8. solus is ini-  
quitatem nullam fecit, nec dolus ullus in ore ejus  
inventus v. 9. utpote qui Solus est ἀναμάρτυρος. Conf.  
1. Pet. 2. 22. Solus is posuit animam suam in reatum  
h. e. pro reatu hominum mortuus fuit, sed tamen  
(post resurrectionem) vidit semen (nimirum doctri-  
nae suæ addic̄tos) prolongavit dies, & voluntas Jeho-  
væ per manum ejus prospere successit v. 11. Solus is  
tanquam servus Dei justus per scientiam sui justifica-  
vit multos, dum iniquitates eorum ipse portavit v. 12.

Con-

Contra verò hæc omnia junctim sumta nulli eorum,  
quos alii Subiectum hujus vaticinii venditant , con-  
venit , ceu infra Arg. IV. prolixè demonstrabimus.

§. 5. Arg. II. Probat id ipsa infallibilis ac fre-  
quentissima Spiritus S. de Christo in N. T. exposi-  
tio. Duodecies enim hoc Vaticiniū hujus Capitis Esa-  
iae in N. T. allegatur & semper atq; unicè de Christo  
exponitur. Ita enim Matthæus c. 8, 17. postquam  
enarraverat , Christum plurimos ægrotos & Dæ-  
moniacos sanâsse , provocat ad vaticinium hoc Je-  
faianum de Christo, hæcque facta esse dicit , ut im-  
pleretur , quod dictum per Prophetam dicentem ,  
*Infirmitates nostras suscepit, & morbos portavit* (Jes.  
53, 4.) Et Marcus c. 15, 28. post narrationem cruci-  
fixionis inter duos latrones addit, ita impletam esse  
scripturam , Jes. 53. 12. quæ dicit: *Et cum impiis re-  
putatus est: & Christus ipse ap. Luc. 22, 37.* Idem  
hoc dictum in se impletum iri prædixit. Quin  
vir Æthiops Eunuchus, Dynasta Candaces Reginæ  
Æthiopum ex lectione hujus Capitis , ejusque de  
Christo per Philippum divinitus factâ explicatio-  
ne ad Christum conversus atque baptizatus fuit ,  
Act. 8. 26-fin. sic Christus 1. Cor. 15. 3. dicitur mor-  
tuus esse pro peccatis nostris sec. scripturam, nimi-  
rum Jes. 53. 5. 8. 9. & 1. Pet. 2. 22. Jesus noster dici-  
tur is , qui peccatum non fecit , neque inventus dolus in  
ore ejus ex Jes. 53. 9. quod Argumentum nobis Chri-  
stianis planè ἀδίαλυτον καὶ ἀμετάπτωτον est, minimum  
omnibus tale esse debet.

§. 6.

¶(9)¶

§. 6. Arg. III. Confirmant idem Autoritates Christianorum omnium (Anonymum quendum & Hug. Grotium si excipias, de quibus inf. Argto IV.) itemque antiquorum *Judeorum*, utpote qui olim ante Controversiam cum Christianis motam vel fervidius agitatam multò candidius, quam hodie recentiores mentem Synagogæ suæ aperuerunt: Etenim (1) *Vetustissimus interpres Chaldaeus Jonathan Ben Uzielis* in suo Targum prima verba Vaticinii hujus Jesaiæ *הִנֵּה יִשְׁכַּל עָבֹד וְאֶת* expressè de Messia explicat, dum ea ita transfert: *חָמֵץ יִצְלַח שָׁבָרִי מִשְׁיחָא וּרְוַתְּסִיבָּן וְתָרְקֹופָה לְחֻנוֹתָה* Ecce prosperè aget servus meus *MESSIAS*, extollebitur, crescat & invalescat valde. Quanta vero hujus Paraphrastæ inter Judæos sit autoritas, ipsiusque scripturæ fere compar, docent passim Talmudistæ e.g. tract. fol. 3, col. 1. quando asserunt, *Jonathanem translationem suam elocutum esse ex ore Haggai, Sacharie & Malachie*, & in Bava bathra fol. 134. col. 1, ubi Jonathan dicitur *maximus inter octoginta Hillelis discipulos, quorum minimus Rabban Jochanan, cuius tamen eruditio stupenda plane fuerit*: Imo tanta ejus sanctitas, ut *qua horā sederit in lege occupatus, omnes ipsum prætervolantes avieule fuerint combustæ*: quin de ipso Talmudistæ communiter dicunt: *אל מלך רשותנו מודה לא האיוורענא קאנך* h. e. Nisi Targum illius textus esset, nesciremus quid diceret.

§. 7. (2) Talmudiste, quorum eadem, quæ Jonathanis de Subjecto sectionis nostræ mens & sententia est, quod id nimirum sit *MESSIAS*. Ita enim

B

in

in Massech. Sanhedrin cap. *chelek* fol. 98. col. 2.  
lin. 7. à fin. quæritur מה שמו ונ' *Quodnam est nomen ejus* (scil. Messiae) (Verba ipsa Rabbinica ubique ob chartæ angustiam studiò omittentes versionem tantum Latinam exhibebimus) : & respondet : *Illi de domo R. Schilo dixerunt, Schilo: quia dicitur* (Gen. 49. 10.) usque dum veniat Schilo &c. &c. *Sed Doctores nostri dixerunt נזעט Leprosus de domo Rabbi est nomen ejus: quia dicitur* (Jes. 53. 4.) Vere morbos nostros ipse tulit, & dolores nostros bajulavit ipsos ; & nos reputavimus eum plagatum (*leprosum*) & percussum Dei (à Deo) & afflictum. Et paulo ante , nim. col. 1. lin. 8. à fin. narratur Historiola vel potius fabula hæc Talmudica ר' יוחנן אמר ל' אליהו ו' זעיר R. Josua Filius Levi invenit Eliam , & R. Simeon Filium joehai , qui stabant in ostio horti voluptatis (Praradisi) & dixit eis : *Veniemus ad seculum venturum?* Dixit eis , si Dominus iste voluerit. Dixit R. Josua filius Levi : *Duos vidi , & vocem trium audivi.* Dixit eis : quando veniet Messias ? dixerunt ipsi : *vade & quere ab ipso.* Dixit , ubi sedet ? In porta Romæ. Sed quod est signum ejus ? jedet inter pauperes patientes infirmitates , & ipse quoq; leprosus est sicut scriptum (Jes. 53. 5) Ei ipse plagatus est ob culpas nostras &c. & v. 4. Vere infirmitates nostras ipse tulit, dolores nostros ipse bajulavit, & nos reputavimus ipsum נני ש leprosum . Ex qua confabulatione ( licet satis inepta ) constat tamen de Talmudistarum hujus capititis Subiecto sententia.

§. 8. Sic (3) Liber Zohar maximæ post Talmudem inter Judæos autoritatis, itidem Sectionis nostræ Jesaiæ Subjectum facit Messiam, quando habet: in Col. 379. & 380. edit. Lubl. in fol. בְּנַתָּא דֵעַן אִיתָה חִכְלָא וְאֶקְרֹרִי חִכְלָא רְבָנִי מְרֻעָן וְגַן In horto Eden est palatum quoddam, quod dicitur palatum egrorum, in quod Messias ingrediens clamat; Omnes morbi, omnes dolores, omnes castigationes Iudaicarum veniant. Tunc omnes venerunt super ipsum. Et nisi ipse alleviasset ab Israëlitis & sustulisset super se (imposuisset sibi), non fuisset ullus homo, qui potuisset portare castigationes Israëlicarum propter pœnas legis. Hoc est, quod scriptum est: Verè morbos nostros ipse tulit &c. propterea quod non numerare possumus pœnas, que imminent filio hominis omni die; & omnes descendunt in hunc mundum à horâ, quâ data est lex. &c. &c. Quæ tam prolixæ enarrare placuit, ut appareat, antiquorum judæorum eandem de passione & satisfactione Messiae, quæ hodie Christianorum est, fuisse doctrinam & sententiam, licet multis fabulis involutam & obtenebratam.

§. 9. (4) Antiquissimus Liber Rabboth Sectionem hanc nostram Jesaiæ itidem de Messia exponit, e. g. in Breschith Rabba super illud Gen. 1, 3. legitur memorabilis dialogismus Jehovah & Messiae de futuris Messiae passionibus ap. R. Mose Haddarschan hisce verbis זֶה קְבָח וְזֶה אָמַר Dixit Jehovah sanctus benedictus, Messia justus mihi, isti, qui sunt reconditi aperte, hujusmodi erunt, quod futurum est, ut peccata

eorum inducent te in jugum grave &c. Respondit  
 coram eo Messias; Dominus mundi, ego quidem latus  
 suscipio super me tribulationes istas sive tormenta, eo  
 tamen pacto, ut tu in diebus meis vivifices mortuos,  
 & eos qui a primo Adamo usque ad illud tempus  
 mortui fuerint &c. Dixit ei sanctus Benedictus:  
**Concedo.** Protinus igitur suscepit ex dilectione super  
 se Messias tormenta omnia & tribulationes, sicut  
 scriptum est Ios. 53. Afflictus est & angustiatus. I-  
 dem R. Mose Haddarschan Gen. 24, 67. יְבוֹא הַצָּדָקָה  
 Et introduxit illam Isaac, haec habet רְדוּן שֶׁל רְשִׁיעָנָה וְנֵזֶב:  
 זהו מלך המשיח Et fuit Rex Messias in generatio-  
 ne impiorum, deditque cor suum ad requireendas  
 misericordias pro Israele, & ad jejunaandum & hu-  
 milandum se pro illis, sicut dictum est (Jes. 53, 9.) Et  
 ipse vulneratus est propter prævarications no-  
 stras, & ipse (Messias) petens misericordias pro ipsis  
 cum peccant, sicut dictum est (Jes. 53.) & in livore  
 ejus medicatum (medicina parata) est nobis, &  
 v. 12. Et ipse (Messias) peccatum multorum tulit,  
 & pro transgressoribus intercessit. Et super Gen.  
 28, 10. וַיַּצֵּא וַיַּעֲקֹב מִבָּאָר שְׁבֻעָה  
 Et egressus est Jacob de Berseba, addit מי אתה הר נזרל גנו Quis tu mons  
 magne? (Zach. 4, 7.) Mons magnus iste est Messias:  
 & quare vocat eum magnum? Quia est major, quam  
 Patres, sicut dictum est (Jes. 52, 13.) Ecce prudenter  
 aget servus meus. i. e. Messias, qui levabitur plus  
 quam Abraham &c. Ita & in Midrasch Ruth super  
 illud cap. 2, 14. Accede huc. seqq. haben-  
 tur &c. מְרֻכָּב עַל מֶלֶךְ חַמְשָׁה וְנֵנֶת Loquitur de Rege Mes-  
 sia

(13)

*sia: Accede buc sc̄. ad regnum : & comedas de pane  
sc̄. de pane regni, & intingas buccellam tuam in a-  
cetum. Ista sunt tormenta vel tribulationes , sicut  
dictum est ap. Jes. c. 53, 5. Et ipse vulneratus vel  
tribulatus est propter prævaricationes nostras : &  
contritus propter iniurias nostras. Castigatio  
pacis nostræ super illum , & in livore ejus medi-  
catum est nobis.*

§. 10. Nec (5) Denegat nobis calculum suum  
Autor antiquissimi libri *Siphre* , quando scribit  
*דָּבָר יְהוָה אֶל־יִשְׂרָאֵל* Dixit R. Jose Galileus : Egressere &  
disce meritum Regis Messiae, & præmium iustorum &c.  
Rex Messias afflictus & humiliatus jejuniō , & pœnis  
afflictus , sicut dictum (Jes. 53. 5.) Et ipse afflictus  
propter culpas nostras , attritus propter iniurias  
nostras. Quantò magis justificabit omnes ge-  
nerationes & universas. Hoc enim est , quod dici-  
tur : (vers. 6. ) Deus occurrere fecit in eum pec-  
cata omnium nostrūm.

§ II. Neque (6) de alio , quam de Messia no-  
stram Sectionem intelligit liber antiquus *Psiṭta* ,  
quando habet : *וְזֹאת הַבָּה נְשָׁמַת הַמֶּשֶׁנָּה וְגֹדוֹ* Produxit  
Deus benedictus animam Messie , dixitque ipsi , vis-  
ne Tu sanare & redimere filios meos post sex milia  
annorum ? Respondet ei , volo : Dixit ipsi , an etiam  
sustinebis Castigationes ad abstergendum iniurias  
eorum ? sicut scriptum est (Jes. 53, 4.) Vere morbos  
nostros ipse tulit. Respondit : sustinebo eas cum gau-  
do. Itemque Midrach Tanchuma cit. in Julkut E-  
dit. Cracov. fol. 53. col. 3. fin. זה שיכיל עברו וזה

B 3

סלה

Ecce prospere aget servus meus : Hic  
est Rex Messias , extollebitur & elevabitur & altus  
erit valde : Extollebitur præ Abrahamo sec. quod scrip-  
tum est de eo Gen. 14, 12. Extuli manum  
meam ad Dominum : elevabitur super Mosen  
de quo scriptum est ( Num. 11, 12. ) Quod dices mi-  
hi, eleva ipsum in finum tuum. Altus erit supra  
angelos ministerii , quia dicitur Ez. 1, 18. Et apsi-  
dibus earum altitudo erat : Et sis dicitur Zach. 4, 7.  
Quis tu mons magne ! quia ipse maior est patri-  
bus.

§. 12. Plura talia , quæ ex antiquissimis Ju-  
dæorum libris adduci possent , studio omittimus ,  
contenti ingenua confessione R. Mose Alschech ,  
qui de hac Pericope Jesaiana candidate scribit :  
זה פה אחר קיימו וקבעו כי ע מלך המשיח רבר  
Rabbi nostri p. m. uno ore statuunt & tradunt, hic de  
Rege Messia sermonem esse , & postea totius hujus ca-  
pitis elegantissimam & maximam partem menti  
Christianorum respondentem paraphrasin subjun-  
git , dignamque , quæ tota hic transcriberetur ,  
nisi id chartæ prohiberet angustia . Superiora au-  
tem hic afferre placuit, ut Judæi pariter & Christiani  
videant, doctrinam & sententiam nostram de Pas-  
fione & satisfactione Christi pro peccatis homi-  
num esse antiquissimam , eandemque , quæ hodier-  
norum Christianorum est , adeò ut non habeant ,  
eur recentiores Judæi , multò minus Pseudo-Chri-  
stiani & Sociniani eam vel novitatis vel falsitatis ac-  
cuserent.

§. 13.

§. 13. Argum. IV. Arguit idem Contradicentium perpetua *Fluctuatio & Colligo*, quod certissimum indicium est rei plerumque suspectæ, si non prorsus falsæ, qualis omnino hic deprehenditur. Etenim hi à veterum expositione, quâ Messias unicum subjectum hujus pericopes statuitur, receudentes, eò quod illam causæ suæ minus favere vident, nihil non moliuntur, ut nobis Christianis illum bolum eripiant. Unde alii Caput hoc *Jesaiæ de Abrahamo*, alii *de Mose*, alii *de Zorobabele*, alii *de Angelis ministerii*, alii *de Messia filio Josephi*, alii *de Jeremia*, alii *de Josia*, alii & quidem plerique recentiores *de Populo Israelitico*, alii *de quovis iusto* explicant, alii quo se vertant, nesciunt, contenti modò non *de Messia Filio Davidis*, nostroque Salvatore Jesu Nazareno explicetur. Quin *SemiChristiani*, Sociniani inquam, videntes doctrinam de satisfactione & merito Salvatoris nostri h.l. stabili-ri, more suo subdole agunt, fingentes, Typicè hic tantum de Christo sermonem esse &c. Singulas sententias hic ut expendamus, termini nobis præfixi angustia non permittit, nec rei exigit necessitas, cum quædam nullum vel parvum admodum inter suos applausum inveniant aliæ vero ita sint comparatae, ut si unam noveris, reliquas quoque noveris: quas proinde prætereuntes, illas tantum hac vice considerabimus, quæ aliquos sui defensores nactæ sunt: quibus destructis reliquæ quoque ultro ruunt.

§. 14. Inter illas autem sententias *prima* est, quæ statuit Caput hoc totum de *Jeremia* agere, cu-jus

Ius defensores sese fistunt ex Judæis R. Saadia Haggæon teste Aben Esra & Abarbanele ad cap. 52. 13.  
 והגען רב סעוריָה זל פירש quando scribunt :  
 ופְרַשְׁתִּי כָּלֵל עַל יְמִינָה Haggaon Rab Saadæja p. m. explicat totam hanc sectionem de Jeremias  
 & ex Semini Judæis quidam Anonymus in Manuscripto quodam de fundamento relig. Christi. B. Jacobo Martini olim oblato, in quô is eo audaciæ progressus, ut non solum Messiam venisse neget, sed nec venturum unquam concedat, idque propterea quia Judæi pactis, quæ Deus cum iis inierat, non steterint; quin & Matthæum cap. 8. locum nostrum de Christo citantem reprehendere non vereatur: Sed quem solide refutavit B. Jacobus Martini tract. de tribus Elohim lib. 3. c. 103. 104. 105. 106. p. 592. seqq. & tandem superciliosus ille & magis in scriptoribus profanis, quam sacris versatus scripture interpres Hugo Grotius, qui cum omnia haec tenus auras fuerit in augustissimo nostro Prophetæ Jesaia, ut ne deesset advocaturâ suâ recentioribus verpis, atque ut nostris ægre faciat, & quantum in ipso est, nobis locum hunc è manibus eripiat, itidem de Jeremiah explicat, plerumque vestigiis dicti anonymi insistens ejusdemque argumentis usus. Sed bene hic Abarbenel in cap. 52. fol. 78. col. 1. post. med. scribit: נֶסֶכְיָה וְרֹעֵתִי מְרֻחָה טוֹבָה וְמְרֻחָה יְפִי Nescio quid in ea explicatione boni vel pulchritudinis: Et Aben Esra: הנכוּ בְעֵינֵי כֵי כָל הַפְרָשָׁה רְבָקָה כִּי מְרֻחָה לְזִכְרָה וּמְרֻחָה אחר הנחות ו לפניו חנחות videtur imbi tota sectio hac cohærere (cum præcedentibus & seqq.)

seqq.) quomodo itaque mentionem ficeret Jeremie ante & post materiam consolationis? & fol. 79.c. i. post init. בָּכְתָ בַּיִנְתָּרָה אֶפְיוֹל פְּסֻק אֶחָד שָׂוֶרֶת עַלְיָה וְגַם  
*Revera ne unum quidem versiculum video, qui de ipso (Jeremia) exponi possit. Qua enim ratione de Jeremia dicetur? Extolletur & altus erit valde? Item illud, Propter eum occident reges os suum? nam illa etas Prophetas habere consueverat: quomodo item dici potest, Morbos nostros portavit, & do-lores nostros bajulavit &c. quasi ipsi pena incubuisse set & Israël fuisset immunis: tum illud: Propter peccata populi mei plaga ipsi: Item Dedit cum improbis sepulchrum ejus, ad ipsum referri nequit; multò minus illud: Videbit semen, prolongabit dies: item: Cum robustis partietur spolium. In quibus omnibus nihil est, quod de ipso commodè afferri possit. Unde vehementer miror, quomodo R. Hagaon in hanc sententiam perduci potuerit, & sapientes dari, qui hanc expositionem laudent, cum tamen tota illa exponendi ratio plane aliena sit, & scriptura non fulta. Hucusque Abarbenel. Quæ Grotius quoque sibi dicta putet.*

§. 15. Quamvis jam in his acquiescere possemus, quod sic Gigantum fraterculos commissemus, qui pugnam hanc inter se depugnare deberent; quia tamen procul dubio erunt, qui scire aveant, quomodo hanc suam sententiam stabilire conetur Grotius, rationes ejus qua fieri poterit brevitate, expendemus & destruemus.

§. 16. Nim. *Grotius* præconceptam suam de  
Jeremia opinionem stabiliturus fundamentum suæ  
interpretationis in Connexione Capitis LIII. cum  
capite LII ponit, ac fingit Caput LII. agere de li-  
beratione è Captivitate Babylonica , ad quam ex-  
citetur hic populus Israëliticus vs. 1-6. indeque lau-  
dari *Jeremie* ministerium , qui definiturus sit ip-  
sum tempus , quo Zijon rursus habitata florere de-  
beat vs. 7-12. utpote qui omnia hæc clarissimè sibi  
revelata cognita habiturus sit vs. 13. quique in mag-  
no honore sit futurus apud ipsos Chaldæos , juxta  
Jer. 39. fin. & c. 40. unde multos miraturos esse ,  
hominem tam egregium tam fœde tractari , detru-  
di in carcerem & locum lutosum , ibique & pæ-  
dore & cibi inopia contabescere , sic rebus muta-  
tis admirationi fore honorem ipsi habitum vs. 14.  
Interim illum (*Jeremiam*) multos ex gentibus ab  
idolorum cultu aversurum esse , indeque Reges ,  
Nabochodonosorem Chaldæum , Nechonem  
Ægyptiorum , eorumque Satrapas admiraturos  
esse cum silentio , ubi vusuri sint omnia , quæ di-  
xit Jeremias , ita ad amissim & suis temporibus im-  
pleta esse , quia quod ab aliis explicatum non fue-  
rit , per ipsum (*Jeremiam*) apertissimè prædictum  
sit vs. 15. Sed quemadmodum fundamentum Grotii  
plane arenosum est , ita quicquid eidem superstru-  
itur , sua sponte ruit. Etenim unde probabit Grotius  
Caput LII. Jesaiæ de Liberatione populi  
Israëlitici ex Captivitate Babylonica , & non poti-  
tius de liberatione Zijonis ex captivitate Spiritu-  
ali

(19)

ali per Christum facta agere. Et unde constat eisdem, Iesaiam hic tam prolixè & ex improviso quasi de Jeremia agere voluisse, qui demum post ducentos prope fannos nascendus erat, nec ulla Prophetæ occasio data uit ejus mentionem faciendi, cùm totus Contextus monstrat, idque ulterius §. seqv. patescet.

§. 17. Sed his omnibus posthabitis Grotius Thesin suam φυλάττειν conatur, atque explicationem Capitis LIII. exhibiturus ad verba vs. 1. *Quis v. credit Concionis nostræ &c.* ita commentatur. Est continuus sermo cum iis, quæ præcesserunt capite præcedente & commate 7. *Vulnus scire inquit, quis ille sit futurus, de quo capi agere &c.* Dabo vobis geminas ejus notas, unde cognosci possit. Hæ notæ in Jeremiam quid. congruunt prius, sed potius sublimusque, sepe & magis κατὰ λέξιν in Christum. Sed heus! Bone Groti, si hæc magis κατὰ λέξιν Christo convenient, quomodo ea κατὰ λέξιν de Jeremia intelligenda? an igitur duplex datur sensus literalis, an duplex potius & bifidum tuum ingenium, quo & Judæis placere & Christianis non displicere voulisti? At nosti salvatoris nostri effatum: Apoc. 3, 16. *Utinam frigidus aut calidus es: sed quia tepidus es, evomam te ex ore meo.* Sed dic quæso, quomodo hæc Jeremiæ convenient? nimirum ait Grotius *Jeremias unus fuit, qui credidit auditui vel Concionis Iesiae, & ei uni revelatum fuit brachium Domini*, i. e. *potentia ejus in liberando populo & modo liberationis.* Sed quæ procul dubio

nulli fano homini in mentem venissent, nisi Grotius ea dixisset, cum sic non ullius fides commendetur, sed potius per interrogationem illam vim negationis habentem maxima ~~attis~~ <sup>attis</sup> judæorum & excæcatio eorum tanto vehementius arguatur: ex adverso v. gentes, quæ nihil ante de Messia audierint, ipsum cognitæ & credituræ sint. Præterea scopus & materia concionis illius, ut contextus docet, non est liberatio ex captivitate Babylonica, sed Servus Domini prudenter & feliciter acturus & exaltandus, quam proinde Concionem Targumista בשרה annunciationem pec. Evangelicam vocat. Conf. Targum ad Ies. 41, 27. c. 52, 7. & c. 61, 1.

§. 18. Pergit nunc Grotius ad v. 2. commentando: *Et ascendit sicut ramus tener &c. sensus est* inquit: *jeremias adhuc puer Deo servire in Prophetico munere incipiet v. Jer. 1, 6. Sic Dominus IESUS anno etatis 12. Doctores docuit.* Et sicut Radix de terra sitiente: i. e. *natus in paupere viculo Anathoth jer. 1, 1. sic & Bethlehem IESU tempore vi- co, quam oppido propior Joh. 7, 42.* En! iterum Grotii bifidam expositionem, sed talem, quæ omnime robur capitis nostri contra Judæos destruit. Non est species &c. i. e. juxta Grotium Nibil magnificum in vultu præfert, macer & maestus. Et vidimus eum: *Hic Iesaias sermonem tribuit hominibus Iudeis, qui cum Ieremia victuri erant, & visuri, vera esse, quæ dixerat.* Sed quæ recensere, refutare est. Hinc videmus, verum esse quod dicitur:

Dato

Dato unō absurdo infinita conseqvuntur. Sic Verba v. 4. Verē languores nostros ipse tulit, ita raptat Grotius : *Ille non talia meritus mala tulit, quæ nos eramus meriti.* Hæc omnia ait (Jesaias) dicturos Judeos post captam urbem. Sed quomodo hæc de Jeremia dicere potuerint Iudæi , nullâ ratione patet. Certè Iudæi ipsi pœnas peccatorum suorum tulerunt , ex pulsionem ex patria & deportationem in Captivitatem Babylonicam , Jeremiā liberè discedente. Similiter verba v. 5. Vulneratus est propter peccata nostra, juxta *Hug. Grotium, malè tractatus*: nim. quia Grotius vidit, Jeremiam non fuisse vulneratum , ipsam significationem verbi enervare & contra totius scripturæ usum per *malè tractari* reddere voluit. Disciplina pacis nostræ ap. eum i. e. *Monita nobis attulit salutaria, si ea recipisemus.* Et livore ejus sanati sumus i. e. *patientiâ ejus nos sanitati fuisse* h. e. *liberati ab impendentibus malis, si verbis ipsius tanta malorum tolerantia confirmatis* *babuisemus fidem.* En quomodo omnia etiam planissima contortè , & absolute dicta conditionatè explicet Grotius contra leges boni interpretis, ita ut si quis cum D. Calovio justo zelo commotus dicat, illa non à S. Spiritu , sed à malo dæmone fuisse Grotio sugesta , ut hæc solatio plenissima de satisfactione Christi pro peccatis hominum everteret miserisque peccatoribus eriperet non omnino multum aberret. Multò aliter hic B. Hieronymus : *Quod nos, ait, pro nostris debebamus sceleribus sustinere, ille pro nobis passus est, pacificans per sanguinem*

nem crucis suæ , sive quæ in terris , sive quæ in cœlis sunt .  
 Porro verba v. 6. Deus incurrere fecit in eum ini-  
 quitatem omnium nostrum , Grotius sic pervertit :  
*Permisit Deus ut Jeremias gravi nostro (Judeorum)*  
*crimine indignissima pateretur.* Sed neque phrasis  
 illa ab hirco emissario Lev. 16, 20. desumpta , neque  
 Universalitas omnium nostrum permittit , ut hæc Je-  
 remia tribuantur. Pergit v. 7. Non aperuit os suum  
 sc. etiam tunc , cum in carcerem ageretur , & in lo-  
 cum lutosum , nihil fecit dixit ve iracundè . Quod in-  
 terpretamentum Spiritui S. in faciem contradicit  
 utpote qui hæc ad Christum applicat , Matth. 26, 63.  
 Act. 8, 32. Porro v. 8. De angustia & de judicio sublatus  
 est. Juxta Grot. de Carcere & de judicio ablatus est i. e.  
 liberatus tandem. Judicium vocat hoc (Jesaias) , quia  
 si ecce judicii ipsi hæc mala imposita fuerant , v. Jer. 32,  
 3. liberatus autem per Babylonios. Generationem  
 ejus quis enarrabit ? i.e. erit valde longævus erit . Quia  
 abscessus est &c. nempe cum actus fuit primum in  
 carcerem , deinide in lacum illum canosum , ac rur-  
 sum in carcerem . Sed vim multiplicem fieri textui  
 à Grotio , manifestum est. Etenim (1) ἅψη non Car-  
 cerem sed coarctationem vel angustiam notat ; nec  
 (2) Jeremias ab angustia liberatus est , cùm à Ba-  
 bylonicis dimitteretur , ut patet ex Jer. 43, 2. (3.)  
 Vita Jeremiæ eti forte longæva fuit , non tamen  
 fuit inenarrabilis vel ineffabilis , ut hic per locutio-  
 nem interrogativam ea significatur. Sed tædef me  
 σφεβλοτήτων Grotianarum. Certe si ita Scripturam  
 ejusque Vaticinia torquere licebit , nihil erit ,  
 quod

quod non perverti , vel ex quolibet quodlibet facile extorqueri possit. Interim ex his videmus , verum esse , quod supra Abarbenel de hac explanatione dixit : *Revera re unum quidem versiculum video , qui de Jeremia exponi possit.* Et paucis interjectis : *Tota hæc explicandi ratio aliena est absque fundamentis scripture.*

§. 19. Falsitatem itaq; illius de *Jeremia* sententiae R. Saadiæ agnoscentes Judæi alii, ut sunt R. Sal. jarchi R. Dav. Kirchi , Aben Esra , Abarbenel Comm. in hoc Cap. LIII. R. Lippmann in Nizzachon adh. l. & R. Isaac in Chissuk Emuna ap. Wagenseil. in Telis igneis Satanæ pag. 199 seqq. censent, hic de *Populo Israelitico* hodie inter gentes varie vexato Prophetam loqui. Verum ita (1) torus Consensus Veterum judæorum , qui Caput hoc de Messia explicuerunt (ut supr. Argumento nostrō II. vidimus) plane rejicitur , negligitur , contemnitur , cum alias juxta Talmudist. effatum iom. fol. 9, 2. טובך רשות שין ראשנויות מקרים שי אחורנויותmelior sit unguis antiquorum , quam venter posteriorum. Vel ut al. loquuntur טוב עלות הראשנויות מבץ' האחרנויות Melior est recematio veterum , quam vindemia recentiorum. (2) De Servo hoc Domini dicitur, quod sit prudenter acturus. Cap. 52, 13. Sed plane aliter nobis describitur in scriptura populus Judaicus sc. quod sit עם אין ירא ולא חכם Populus stultus & non sapiens. Deut. 32, 6. & quod sit magis insipiens quam bos & asinus. Jes. 1. 3. conf. Jer. 4, 22. aut si dicant , quod prosperos suc-

cef-

cessus habiturus sit post hanc captivitatem, legant  
 quæso Deut, 28, 15-68. & cap, 32. tot. & parum  
 successus sibi promittere poterunt. Sic (3) de hoc  
 Servo dicitur , quod *exaltandus, elevandus & sub-*  
*limis valde* fit futurus. At quisnam magis abjectus,  
 depresso aut humilis magis in orbe terrarum po-  
 pulus est , quam populus judaicus , utpote qui o-  
 mnibus nationibus abominationi est ? Nec ullibi  
 in scriptura habet promissionē melioris status, quin  
 potius Daniel c. 9, ult. ipsis exitium usque ad finem  
 minatur. (4) Servus hic dicitur *Vir dolorum Cap.*  
*LIII. v. 3.* quod sane non populo , sed alicui individuo  
 populo semper contradistincto , convenit. Si-  
 militer (5) de hoc servo dicitur , quod *languores no-*  
*nostros tulerit & dolores nostros bajulaverit* . it quod i-  
 pse vulneratus fuerit propter prevaricationes no-  
 stras, attritus propter iniquitates nostras &c. v. 4.5.6.  
 Sed quomodo populus judaicus nostros languores  
 aut dolores h. e. pœnas peccatorum portet. Annon  
 satis ipse habet , quod portet, ut non demum alio-  
 rum peccata aut pœnas eorum in se suscipiat ? Cer-  
 tè judæi eo ipso fatentur , se in hac vita eas ferre  
 non posse , dum post hanc vitam sibi singunt Purga-  
 torium , in quo demum reliquias peccatorum  
 eluant. Et qui etiam id fieri posset salvâ DEI  
 justitia , cum inter nos ( qui à Judæis hic loqui  
 singimur ) & Judæos nulla detur communio , qua-  
 lis certe requireretur , quæque à Moralistis triplex  
 statuitur , *voluntaria* , qualis est inter reum & fide-  
 iusserem: *Politica*, qualis est inter Regem & subditos:  
 & Na-

Naturalis , qualis est inter Patrem & filium : quārum v. nulla hic locum invenit. (6) Ulterius Servus hic Dei a summa patientia commendatur , quod non aperiat os suum &c. Sed tantum abest ut Populus Judaicus hanc suam captivitatem patienter ferat , ut potius quotidie nos ad orcum devoveat,& si in ipsorum potestate esset , ad unum omnes perderet. Unde toties rebellarunt, nota-que est strages multorum millium hominum,quam tempore Trajani in Ægypto ediderunt & experti sunt, itemque ea tempore Hadriani , qua Bar Cochba filius stellæ initio(postea verò BarCof) <sup>h</sup>a filius mendacii dictus cum infinité prope Iudeorum multi- tudine in rebellione occisus fuit. Sic circa A. C. 609. imperante Phocâ seditionem Antiochiæ excitarunt, ubi innumeros Christianos crudeliter trucidarunt. Ita Sec. VII. in Hispania Judæi magnos motus excitarunt , dum sumtis in auxilium Africani Judæis , in perniciem Regis omniumque Christianorum conspirarunt. Alias Seditiones & impatientiæ signa ut brevitatis gratia nunc præter-mittamus. (7) Adhuc Servus ille Dei dicitur, quod de angustia & judicio sublatus sit : quodque propter prævaricationem populi Dei plaga sit ei. Alius igi- tur est , cui propter populum Dei plaga est, alias est populus Dei ipse, propter quem huic Dei servo plaga est ; Quod si itaque per hunc Dei populum, populus Israeliticus intelligendus est , non potest hic populus esse Servus Dei, cui plaga est, quod adeo manifestum est , ut vel manibus palpari possit.

(8) Porro de hoc servo Dei dicitur , *quod nullus dolus in ore ejus inventus fuerit* vs. 9. sed quisnam magis dolosus populus , quam Judaicus? Quot fraudes , quot furti quoti die committant , vel patibula & judicia publica id testari possunt. Sic (9) Servus hic *per scientiam suam multos justificare debet* : sed quomodo Populus Judaicus *per scientiam suam justificaret multos* non appetat. Certe si quis populum hunc sec. statum naturalem , siue moralem , siue religiosum cognitum habeat , nullam tamen inde justitiam acquiret (10) De Servo hoc dicitur : *quod pro malefactoribus intercedere debeat* vs. 12. Sed tantum abest , ut pro nobis intercedant Judæi , ut potius nobis tanquam maximis malefactoribus maledicant , ac contra regnum Edomiticum h. e. Christianum orient quotidie. Hæc & plura talia contra ipsorum sententiam ex ipso textu colligere possemus , si tempus & charta id permitterent; Sed haec tenus prolata sufficere possunt , utpote quæ ita iunt comparata , ut non appareat , quibus artibus hæc juvari , aut quibus rationibus hæc nostræ objections dilui possint.

§. 20. Videamus tamen , quibus Argumentis inducti aut quibus fundamentis nisi supra allegati Rabbini Caput hoc de *Populo Israelitico* explicit. Nam Duo hic ponunt fundamenta (1) Connexionem .(2) Rei cum toto Contextu , ut putant , Convenientiam & commodissimam ad populum Israeliticum applicationem : vid. R. Abarb. Comm. in h. l.

(1) Con-

(I) Connexionem itaque quod spectat, petunt eam A-  
benEsra&Abarbenel ex verbis proximè præceden-  
tis vers. 12. Cap. LII. *Non in festinatione exhibitis:*  
*quia preiturus est vobis Dominus*, & colligens vos  
Deus Israëlis: quibus verbis de Israele sermonem  
esse dicit, indeque colligit, sequentia omnia us-  
que ad finem Capitis LIII. de Populo Israelitico  
quoque agere. At enim vero (1) nos supra in Ar-  
gumento nostro primo §. 3. multò rectius nexus  
exhibuimus monstravimusque Capita LII. LIII. &  
LIV. tota cohærere, in primis vero in verbis ulti-  
mis vers. 12. Cap. LII. mentionē fieri *Ducis Israëlis*, qui  
statim v. 13, *Servus Dei* prudenter & prosperè agens  
dicitur, de quō totum postea Caput LIII. agit, ceterum  
ibid. videri potest. (2) Non sequitur, non posse  
hic de Messia agi, si in proximè præcedentibus de  
populo Israelitico agatur. Etenim ap. Prophetam  
tanta inter populum & inter Messiam intercedit ne-  
cessitudo, ut à Messia ad populum & vicissim à po-  
pulo ad Messiam facilis sit transitus. Hinc etiam  
Rabbini alii, qui Sectionem hanc de Messia exposue-  
runt, ne quidem de hoc nexus cogitarunt. (II.) Con-  
venientiam vero rei cum contextu & commodam ad  
populum Israeliticum applicationem quod concernit,  
consistit illa in eō, (a) quod hic de quō loquitur Pro-  
pheta, *Servus Dei* appelletur, quo nomine alias fre-  
quenter *Populus Israeliticus* veniat, ut Jes. 41. 8. c.  
44, 1. 2. Jer. 30, 10. c. 46, 27. Sed si loca scripture  
consulimus, nomine *Servi* absolutè posito, uti h. l. fit,  
vix *populus Israeliticus* ullibi designatur, sed com-

muniter additum habet Nomen *Israel* vel *Jacob*,  
 ceu in proximè præcedd. locc. omnibus videre est:  
 Contra verò Nomen *Servi* absolute posatum usur-  
 patur de Messia etiam jes. 42, 1. (β) quod v. 13. di-  
 catur: *Ecce prudenter vel feliciter aget servus*  
*meus &c. sc. in fine dierum, tempore redēmptionis,*  
 ubi populo Israelitico restituentur quatuor illæ di-  
 gnitates , quæ ipsi in hac captivitate ablatæ sint,  
 nim. (1.) Sapientia & cognitio. (2.) Regnum. (3.)  
 Prophetia. (4.) Schechina seu præsentia divinæ Ma-  
 jestatis, ita Abarbenel h. l. it. (γ) quod dicatur v. 14.  
 15. *Uti super te obſuperunt multi , ita asperget &c.*  
 Juxta Aben Esram & Abarb. Qualis gentis Judaicæ  
 fuit depresso & corruptio , talis futura est excellētia  
 in eadem mensura , Israel enim licet pauci sint nume-  
 ro, disperget tamen gentes multas, vincet eas & ef-  
 fundet sanguinem earum. Et tum obdent Reges os-  
 suum , quia ipsis de antiquis illis dignitatibus  
 sub templo primo nibil nunciatum fuit : sed  
 nunc videbunt , quando status eorum renovabitur.  
 Sed vana hæc miserorum hominum spes & expecta-  
 tio est nullis scripturæ fundamentis nixa , quin potius  
 ea per locum Dan. 9, 26. quō ad finem usque  
 decretæ sunt desolationes eidē omnis præcisa. Interim  
 videmus, quid nobis Christianis , si in Iudæorum  
 potestate essemus , ab ipsis expectandum sit ,  
 (δ) quod dicitur Cap. LIII. v. 3. *Contemtus & abjectissi-  
 mus virorum & Vir dolorum :* Talem enim esse po-  
 pulum in hac captivitate. At hæc non populo in-  
 tegro, sed alicui individuo, populo semper contra-  
 distin-

(29)

distincto , cōvenire jam supra diximus . Nec quicquam juvat , quod dicunt , Populum Israeliticum hic collectivē sumi , & sic Prophetam de eo tanquam de uno Viro loqui . Præterquam enim quod hoc raro al. scriptura facit , id prius probandum , non supponendum erat , nimirum sermonem hic esse de Populo Israelitico . (e) Quod dicatur v. 7. *Judeos sese habere in hac Captivitate instar agni os suum coram tondentibus non aperientur* , id quod faciant in exactionibus & vectigalibus : ita Abarbenel . Sed quam patienter illas exactions sāpe tulerint , præced . §. num. 6. monstravimus . (ζ) Quod dicatur v. 9. *Posuit sepulchrum ipius cum improbis &c.* nim. quia juxta R. Salom. tradat populus Iṣraēliticus seipsum sepulchro , quando ad mortem illos condement , occidendos & lepeliendos instar asini , vel juxta Abarb , quod ne quid. in morte ab improbitate gentium securi sint : post mortem enim & sepulturam in densissimis tenebris illos ē sepulchris suis extrahi , ut ipsis vestimenta sepulchralia exuantur & corpora ipsorum ignominia afficiantur . Sed falsa hæc sunt omnia , cum ipsis plus satis inter Christianos libertatis concedatur & benignitatis exhibetur : nec quisquam eos post mortem ignominia afficit , multo minus occidit , modo à crimibus capitalibus abstineant . Alia , quæ pro populo Judaico afferunt , jam præced . §. diluta sunt .

§. 21. *Abarbenel* itaque , qui cæteris Rabbinis oculatior esse vult , videns hanc explicacionem subsistere non posse , aliam isque solus ad o-

tentandum ingenium suum mundo obtrudere ,  
 atque totum hoc vaticinium ad Josiam Regem Iudee  
 torquere voluit . Sed quod supra Abarbenel de R.  
 Saadiæ Haggao sententia , quæ Pericopen hanc de  
 Jeremia exponebat , id nos hic de novo hoc Abar-  
 benelis commento dicere possumus : *Nescio quid*  
*boni aut pulchri in eo sit.* Certe ne unum quidem  
 comma est , quod commodè Josiae applicari po-  
 sit . Etenim (1) Hic Servus Dei dicitur *prospere &*  
*feliciter acturus* Cap. 52. 12. sed quam infelici suc-  
 cessu contra Nechonem regem Ægypti usus fuerit  
 Josias , ex 2. Chron. 35. 20. constat : quod obser-  
 vans Abarbenel fingit vocis *לְיִצְחָק* significationem  
 esse tantum *intelligenter agere.* Sed verbum illud  
 non notat tantum *internam prudentiam & sapien-*  
*tiam* , ut fingit hic Abarbenel , sed & *externum &*  
*felicem rerum sapienter excogitatarum successum* ,  
 ceu patet partim ex loco 1. Sam. 18. 14. partim ex  
 optimorum Hebræorum interpretationibus v.  
 Targ. R. Sal. Jarchi & Kimchi ad alleg. loc.  
 (2) Super hoc servo Dei multi debent *obstupescere* ,  
 quin *ipsi reges os suum comprimere.* Sed tale quid  
 nec de Nebucadnezer , neque de Nechone , ne-  
 que de aliis regibus legimus : quin potius Necho  
 rex procul dubio ob reportatam a Josia victoriam  
 gavissus fuit . Et (3) quomodo Josias *multas per-*  
*spersit gentes?* (4) Servus hic debuit aliorum lan-  
 guores & dolores h. e. peccata portare : sed Josias  
 propriæ temeritatis penas dedit : (5) Servus hic  
*exangustia & judicio debuit creptus esse* , ita ut  
     *nemo*

nemo generationem ejus enarrare possit ; atque ita post mortem habere debuit semen & esse longævus. Sed Josias ex angustia non erexit, sed potius in ea mortuus fuit, nec unquam resurrexit, multo minus dies prolongavit aut inenarrabilem habuit generationem. (6) Servus hic per suam scientiam debuit iustificare moltos. Sed Josias per suam scientiam neminem iustificavit, utpote qui ipse iustificatione opus habuit. (7) Servus hic tandem magnam cum fortibus prædam partiri debuit : sed tantum abest, ut Josias prædam acceperit, ut potius vitam & ferme regnum amiserit vid. 2. Paral. 36, 3.

§. 22. Hæc omnia quamvis adeo clara sint, ut qui contrarium asserere velit, contra Solem loqui videri possit : nihilominus tamen Abarbenel novam hanc suam Amasiam ornare, & ne in sordibus suis jaceat, duobus fulcris stabilire conatur, nim. (1) Connexione totius Contextus. (2) Applicatione ejusdē ad Regem Josiam(a) Connexionem defumit ex Cap. LII. 1. ubi de Necho Rege agi contendit, indeq; colligit, Prophetam eā occasione simul de Josia ac bello cum Necho habitō qđ. in parenthesi agere voluisse. Sed falsissima hæc est& mere precaria hypothesis, quippe cuius ne minimum quidem in textu extat bestigium. Nec probant id verba v.i. Non perget invadere te amplius præputiatus & immundus. Etenim unde novit Abarbenel, per hunc præputiatum & immundum præcise intelligendum esse Regem Necho? Imo non Necho Judæam, sed Josias prius invasit Necho; (β) Applicatio

ve.

verò meris nititur falsis commentis & vocum significatione perversa, quorū pleraque in præcedentibus simul notata & refutata sunt, ut novo hic labore vix opus sit. Breviter tamen Abarbenelis expendamus rationes: nim. (1) dicit vers. 13. *Josiam prudenter administrasse regnum, ac regem fuisse valde sublimem propter insignem pietatem;* 2. Chron. 34, 5. 7. *Resp.* id de initio quidem regni ejus verum est, sed finis non coronavit opus. Nec major fuit suis majoribus, sed omnino Davide & Salomonē minor. (2) ad vers. 14. *Ob Israelem faciem Josiae à Pharone Nechoe & militibus ejus deturpatam fuisse* 2 Chron. 35, 23. at illud ibid. non legimus, sed potius eum jaculo fuisse trajectum ut pugnâ exire coactus fuerit. (3) ad vers. 15. *Ob Josiam interfactum multorum Ægyptiorum sanguinem fuisse esse,* & Nebucadnezarem cum sociis suis os suum clausisse propter ea, quæ Pharaoni Nechoi evenerint per ipsos, dum viderint præter opinionem ejus interitum. At coactè phrasis illa *adsparget multos per: propter ipsum occidentur multi,* explicatur. Sic Rex Nebucadnezar potentissimus juxta ac fortissimus Rex cur ob viatos Ægyptios ita obstupuerit, ut os suum occluserit, & non potius in triumphum & jubila eruperit, non patet. (4) Ad Cap. LIII. vers. 1. *Neminem potuisse credere, quod Josias imperfectus fuerit tam sanctus, contra vero Nechoen hominem fuisse nullius pretii, & impium &c. & tamen propter ipsum brachium Domini se exeruisse*

(33)

exeruisse adversus Josiam. Resp. Quis hoc non  
credat, si quis temerarium bellum suscipiat, uti Jo-  
sias fecit, & in eo pereat? Præterea phrasis: *Bra-  
chium Domini super quem est revelatum*, plane  
contra sensum v. 10. capit. 52. explicatur. (5)  
Ad v. 4. 5. 6. Josiam ob peccata populi, (sc. ido-  
lolatriam tunc in populo frequentissimam), *mor-  
tuum esse*, utpote quæ (peccata) Deus ipsi impo-  
suerit: unde & Judæos statuere, quod non à Ne-  
chone, sed à Deo percussus fuerit! Sed si Josias  
populi peccata tulit, utique populo postea parsu-  
fuit: cujusdam contrarium constat ex 2. Chron,  
36, 3. seqq. Ad v. 7, Josiam, quamvis Ægyptii perse-  
cuti fuerint, tamen patientissime calamitatem suam  
tulisse, nec *os suum aperuisse*, sicut agnus ad ma-  
estationem duxus. Verum Josia hæc plane non con-  
veniunt, et enim armatâ manu Pharaoni obviam  
ivit & ut postea pugnâ exiret, coactus est. Ad v. 8.  
scribit Josia ab Imperio & judicio nunc sublatô quis in-  
tercedet pro generatione ejus? vel quis docebit illam  
salutaribus admonitionibus? Sed quæ meræ Textus  
perversiones sunt: & quando tandem harum erit  
finis? Ad v. 9. Et posuit Deus נָא. e. יְהֻיּ per im-  
probos Ægyptios sepulchrum ejus,, quippe qui  
causa mortis & sepulturæ ipsius extiterunt: *quam-  
vis violentiam non fecerit, nec dolus in ore ejus*,  
utpote qui pientissimus rex fuerit. At explicatio  
hæc plane contra genium linguæ sanctæ est. Sic  
quod omnino violentiam fecerit Josias, docet ipsum  
bellū temerarium contra Nechonem suscepsum.

E

Ad

Ad v. 10, sed Israelitæ præ summo micerore conque-  
runtur : *Ab ! nec judicii nec justitiae opus hoc fuit, sed*  
*merum Dei beneplacitum.* *Quod si animam suam pro-*  
*reatu posuisset i. e. peccato & iniuitati more majo-*  
*rum operam dedisset, vidisset semen , dies suos pro-*  
*longasset, uti impii communiter diutius, quam pii vi-*  
*vunt.* Verum hi murmurantes aut idololatræ impii  
fuerunt, aut pii Israelitæ. Non illi, quippe qui mor-  
tem Josiæ diu optarunt : nec pii Israelitæ : hi enim  
Deum suū non ita blasphemāssent. E, hæ nugæ sunt.  
Præterea Josias utique semen vivus vidit 2. Par. 36,  
1. 2. quomodo igitur conqueri poterant, Josiā semen  
non vidisse. *Ad vs. II, 12. At inquit Deus iustis vestris*  
*cognitionibus noui indulgendū: nam pro molestia vul-*  
*neris & mortis Josias nunc præmio hoc coronatus*  
*est, quod omni gaudio in beato seculo se satiaris en-*  
*sbit.* Ideo & in resurrectione justorum dabo ei par-  
tem cum magnis scil. Patriarchis, quia judicium  
meum tanquā justū approbavit, sēque inter peccato-  
res numeravit. Sed hæc adeo sunt contorta & a verbis  
text⁹ origin. aliena, ut nihil sani in hoc glossemate ha-  
beatur, ceu conferenti textum cum Glossa manifestū  
fiet. Et sic tandem harum nugarum, quas magnus  
ille Doctor Abarbenel plenis buccis effutiit, finis est.

§. 23. Alii tandem, observantes nullam harum  
explicationum defendi posse, eò abeunt , ut de  
*quovis justo caput hoc, si non totum, unam tamen*  
*alteramve ejus partem modò huic , modò alii ju-*  
*sto tribuant vel applicent.* Occasionem a. sumunt  
à di-

à diversa hujus loci ap. quosdam Talmudicos Doctores expositione, & applicatione, ubi aliqua ad Messiam (ut supra Argumento III. vidimus), aliqua ad Mosen, aliqua ad quendam R. Akibam referuntur. De Mose Cap. 53. quidam R. Semlaj in Codice Sota fol. 14. exponit, dum querit, *Cur Moses desideraverit ingressi in terram Israëlis?* & respondit, *quod multa precepta data sunt Israëli, quae non nisi in terra Israëlis observari possint: quare Mosen terram sanctam ingredi voluisse, ut sub manu inductione sua omnia illa precepta observarentur, quod Deo ita placuerit, ut praemii loco promiserit dare partem, pro multis, juxta Cap. 53. vs. 12.* Sic R. Alschech, quamvis ad Cap. LII. 13. fateatur, Rabbinos suos uno ore juxta receptam traditionem statuere, hic de Rege Messia sermonem esse, quin ipse pleraque de Messia explicit, tamē vs. 9. hujus Capitis itidem ad Mosen accommodat nim. Ad verba 'בָּרוּ כָּבֵד רְשִׁעַת' (vulgo) Et postfatum improbis sepulchrum ejus &c. seqq. habet q. d. Ecce proferam tibi demonstrationem à principe omnium prophetarum, & præstantissimo omnium, qui creati sunt, qui post mortem suam sustinuit afflictionem solito majorem, propter iniquitatem generationis: quia ipse posuit cum improbis sepulchrum suum, Mosen dico, Magistrum nostrum, cui Pax, secundum sapientes b. m. qui sepultus est extra terram Israëlis cum mortuis in deserto, qui impii erant & indigui, ut fruantur futuro seculo, nisi dolore affectus fuisset Moses, ut ap. iplos sepeliretur extra terram Israëlis, eosque secum reduceret scil. ad mundum futurum:

& cum divite scil. Korah, quamvis ipse (Moses) violentiam non fecerit, scil. sicut generatio deserti, &c. &c. Sed Talmud Hierosolymitanum Codice Schekalim ex sententia cuiusdam R. Jonæ ad R. Akibam, qui tempore Imp. Hadriani seductorem illum Bar Cochba pro Messia agnovit, applicat, qui juxta Cod. Berachoth fin. seipsum tradiderit supplicio & animam suam in mortem effuderit ad sanctificandum nomen Dei bened. Violenter enim raptatum fuisse ad supplicium, & durissimo moris genere affectum: ferreis enim pectinibus carnem ipsius pexam esse donec animam tuam efflaret. Ubi Glossator En Isrælis hanc expositionē admodum laudat sibiique & omnibus Judæis gratulatur, quod tam feliciter invenerit virum, ad quem versus iste referri possit. Et tandem hinc colligit, Esaiam non de certo quodam viro, sed de quovis justo indeterminatè vaticinatum esse. Sed hæc refutatione indigna esse vel ex eō patet, quod totus noster Contextus non de pluribus, sed de uno tantum subiecto agat, unde & hæc sententia ab omnibus fere recentioribus est rejecta. Nihil itaque restat, quam ut antiquorum Judæorum ac ἑρμηνειῶν Christianorum sententiam Caput LIII. Iesaiæ de Christo, unico ej⁹ scopo explicant, utpote textui nostro ejusque cum Antecedentib⁹ & Consequentibus optime convenientem, amplectamur, nec nos per nugamenta vel Judæorum vel Pseudo-Christianorum dimoveri patiamur.

§. 24. Argum. V. Evincit idem Infirmitas contrariarum Rationum contra nostram de Messia sen-

fententiam, quas in compendium quasi redactas nobis Objicit R. Isaac Ben Abraham in Chissuk Emuna cap. XXII. ap. Cl. Wagenseil. p. 199. seqq. ubi ex versione ejusdem seqq. habet objectiones.

§. 25. *Objectio I.* Hoc argumentum (quô Christiani Cap. LIII. Jesaiæ de Jesu suo Nazareno explicant) nullius firmitatis est. *Etenim cum Scriptura dicit: Ecce prosperabitur servus meus; quomodo id de Jesu Nazareno interpretari queunt, cui ex stulta sua opinione Deitatem assignant? An enim Deus vocabitur Servus in verbis Prophetæ?* Resp. Stulta potius hæc opinio est in cerebro Verpæ nata: Messias enim est servus Dei sec. suam humanam naturam, Deus verò secundum suam divinam naturam, uti & vocatur Jehovah Jer. 23. 5. 6. & c. 33. 15, 16. nec dicitur vulgari ratione servus, uti Moses Num. 12, 7. aut ut David, sed planè peculiari ratione & ob statum exinanitionis. Unde Jes. 43, 10. dicitur *electus Dei servus*, itemque propter perfectissimam obedientiam, quâ *Patri obediens fuit usque ad mortem, mortem autem crucis.* Phil. 2, 8. *Excipit* R. Isaac, Negando nostrum Messiam esse Deum, ut pote qui nec à se ipso, nec ab aliis ullibi in N. T. vocetur Deus. Sed contrarium manifestum est ex Locis Joh. 20, 28. Act. 20, 28. Rom. 9, 5. 1 Joh. 5, 20.

§. 26. *Object. (2)* *Verba extolletur & elevabitur & altus erit valde, minimè in illo impleta fuisse.* Etenim morti ad judicatum fuisse ad instar reliquorum hominum, ex infima fæce plebis. Resp. Hæc mutuò se non tollunt: utrumque enim de

Messia nostro prædictum est Ps. 8, 6. 7. *Dificere facies eum paululum à Deo , sed gloria & decore coronabis eum, & Ps. 110, 7. De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput.* Zach. 9, 9. 10. *Messias veniet mansuetus & pauper & vetus asino: sed tamen dominabitur à mari ad mare & à flumine usq; ad fines terre.* Et sicut Joseph prius in carcерem detrusus , posteà verò ex eo liberatus, & vicarius Regis Ægypti constitutus: ita & noster Messias prius in statu exinanitionis varias afflictiones, quin acerbissimam mortem crucis pati debuit; posteà verò in statu exaltationis tertio die ex mortuis resurrexit , ascendit in cœlum & ad suām gloriam evectus, sedet ad dexteram patris, atque æquali potentia, gloria & maiestate cum eo fruitur, *dominatur in medio hostium suorum , quos habet scabellum pedum suorum : Habet populum devotum in die potentiae ejus Ps. 110. 1. 2. 3.* Nomen ejus gloriosum est in universa terrâ. Ps. 8. 2. Ut ita utrumque de una persona dici possit, sed pro diversitate temporis & status.

§. 27. Object. 3. Non in eo (*Iesu Nazareno*) locum reperire verba: Videbit semen, prolongabit dies, cum omni semine fuerit destitutus. Non posse a. (*Christianos*) asserere, *Discipulos semen ipsius vocari: non enim usurpiam repertas , inquit , discipulos seminis nomine appellari ; tantum liberos dici animadvertisimus , prout præceptoris Patrum nomine indigitari solent.* At semen nemo dicitur , nisi qui ex lumbis alterius prodiit. Resp. Quamvis Messias nolter nullos habuerit liberos naturales , atque Apostoli ejus discipuli fuerint , non liberi , utpo-

ut poteab ipso non nati; sciendum tamen, hic sermonem est non de semine & liberis naturalibus, sed spiritualibus. Ut enim ipse Caput spirituale est regni sui, ita & spirituale semen habet ac spirituales liberos, nam omnes fideles ac credentes: in hisce liberis suis vivit perpetuo usq; ad consummationem seculi. Falsum autem est, neminem dici *semen* aut filium in scriptura, nisi qui ex lumbis alterius prodierit. Etenim contrarium docet Locus Ps. 87, 3. 4. 5. 6. ubi expresse dicitur, *quod in Zion homines nasci debeant per predicationem gloriosorum, que predictantur in ea.* Atque hi ipsi sunt, quos etiam h. l. Jelaias describit v. 11. quod per Cognitionem Messiae iusti multi siant. Præterea *semen & liberi* dicuntur in scriptura etiam *discipuli*, uti filiorum prophetarum mentio fit 2. Reg. 2, 3. & Jes. 8. 18. ipse Propheta de suis auditorib⁹ & discipulis dicit: *Ecce ego & nati, quos dedit mihi Domini* teste Talmude Hierosolymit. Codice Sanhed. fol. 28. col. 2. Quin ipse Abarbenel ad Gen. 3, 15. fatetur antiquos Judæos per *semen Serpentis* intellexisse Cananæos, non quasi ex serpente natissint, sed quia serpentis malitiam & opera exercuerint, quid itaque prohibet, quo minus fideles Christi *semen & liberi* dici queant.

§. 28. Object. 4. Idem R. Isaac l. c. *Haud magis posse affirmari, ait, quod dies prolongaverit, quia anno etatis tertio & trigesimo fuerit occisus.* Atq; rursum non licere diuturnitatem dierum de Detestate accipere. Deum enim ait nullo tempore circumscribi eundemque primum & novissimum esse, annosque ejus non pati imminutionem. Resp. Quamvis Christus tantum per triginta & tres annos in his terris vixerit; non tamen eidem contrariatur, quod dies suos prolongaverit: sicut enim Propheta sibi non contradicit, quando dicit: *Si posuerit delictum vel pro delicto animam suam* i. e. si mortuus fuerit pro delicto, prolongabit dies; ita nec illud sibi contrariatur. Etenim non in sepulchro mansit, sed tertio die resurrexit & vivit nunc à seculo in seculum. Apoc. I, 18. Ceterum supervacanea est Judæi exceptio, *quod non sec. divinitatem dici possit vivere.* Nemo n. Christianorum, quantum quidem nobis constat, hoc unquam effugio usus fuit.

§. 29. Objic. 5. Qua jam ratione exponere possint (Christiani) verba: Idcirco prædam dabo ei inter multos & cum robustis partetur prædam. Quinā quoq[ue] sunt illi multi & fortes ex ipsorum sententia, quos natus est, & cum quibus prædā dividet? Rsp. Multi illi, quos Pater cœlestis filio suo dedit, sunt gentes ipsi in hereditatē datæ Ps. 2,8. & insulæ ad ipsum convergunt. Jes. 40,8.9. quarum innumerabilis multitudo est. Fortes a. quos Messias prædam habiturus est, sunt ejus hostes, Diabolus cum omni infernali caterva juxta Ps. 68, 19. ubi de Davide Messia Ascendisti inquā in altum, duxisti captivam captivitatem, acceperisti dona pro hominibus, & etiam rebelles, ad in habitandum Dominum Deum.

§. 30. Objic. 6. Quis sensus verborum sit? Pro defectoribus intercessit. Cui enim pro peccatoribus supplicavit, si ipse, ceuine. ptissime persuasi sunt, Deus erat? Rsp. Christus pro suis hostibus & peccatoribus in Cruce oravit ad Patrem suum, ut Homo & voce humana Luc. 23, 34. Et quamvis sit θεός τοτusque Christus oraverit, non tamen oravit sec. divinitatem & ut Deus, sed oravit sec. humanitatem & ut homo. Etsi enim Pater & Filius ejusdem sunt essentiae: non tamen sunt una eademque persona: & sic non semet ipsum, sed Patrem oravit.

§. 31. Quibus sic expeditis tandem coronidis loco totam hanc diputationem includimus huic Syllogismo: Quamcumque sententiam & expositionem Loci V. T. evincit (I) Contextus (cum præcedentibus non minus ac sequentibus) Cohæsio omniumque ejus partium applicatio. (II) Infallibilis ac frequentissima Spiritus S. explicatio. (III) Antiquissimorum Judæorum (alias adversantium) & Christianorum tantum non omnium Consensus & Autoritas (IV) Contradicentium perpetua fluctuatio & collisio & (V) Contrariarum rationum & Autoritatum infirmitas: illa expositio certa, firma ac omnibus aliis est præferenda, tanquam qua firmis nititur principiis Hermeneuticis. Atqui de hac nostra expositione præsentis loci controversi, (quod habeat pro Objeto Messiam Salvatorem nostrum,) verum est prius, (ceu quinque illis Membris totidem Argumentis probatum dedimus) E. & posterius, ET TANTUM HAC VICE.

Fd 5611

ULB Halle  
002 715 18X

3



PA 30C

VD 17

NC



**Farbkarte #13**



32

DISSERTATIO THEOLOGICA,  
*Quæ*  
**MESSIAS**  
*CAPITIS LIII. JESAIÆ,*  
**SCOPUS UNICUS**.  
esse,  
Contra Hug. GROTIUM & JUDÆOS recen-  
tiores demonstratur,  
*Quamque*  
**DIVINA FAVENTE GRATIA**  
CLEMENTISSIMIS AUSPICIIS  
**F R I D E R I C I A N I S,**  
P R A E S I D E  
**HENRICO OPITIO,**  
SS. Theol. Doct. ejusdemq; Prof. Ord.  
Ad diem Junii MDCCII.  
*publicè defendet*  
**JOSIAS HENRICUS OPITIUS, H. F.**  
ss. Theolog. Cult.  
K I L O N I,  
Typis Bartholdi Reutheri, Academ. Typogr.